

renovamus ordinationem Romæ factam 1612., & sub poenis in eodem Capitulo taxatis præcipimus omnibus, & singulis nostri Ordinis Patribus, ac Fratribus, ut nemo sine se, five per alium, five secularis, five nostri Ordinis Frater fuerit, & cuiuscumque gradus, & conditionis existat, in Curia Romana quicquam sine scitu Rev. Admodum P. Procuratoris Ordinis tractare, vel procurare audeat.

Confirmatur
prout in rub.

§.2. Nihilominus cum experientia comperit sit, quod, aut sub prætextu ignorantie dictorum decretorum, aut quod illa non sint in usu, parum, aut nihil observantur, in grave dicti Ordinis præjudicium, necnon officii Procuratoris Generalis, & in illius spretum; idcirco ne provisio observantiae regulari adeo salutaris, & Ordini prædicto proficua in desertudinem abeat, prædictus Franciscus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut decreta huiusmodi, apostolica nostræ confirmationis robore communire, de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur dictum Franciscum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis profesequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decreta præinserta cum omnibus, & singulis in eis contentis, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolice firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum
irritans.

§.3. Decernentes illa, necnon præsentem literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratibus inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3.
Decem. 1635
An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die tertia Decembris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

D.

Quod in Provinciis Hispaniarum, & Indiarum Fratrum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum, amplius non sint, neque habeantur tituli Lectorum Jubilatorum, neque exemptione Patris gaudeat, nisi qui Minister Provincialis fuerit.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Religiosos viros, qui abjectis hujus seculi vanitatibus, humilitati, & paupertati sub æstioris vite Instituto se per omnia tradiderunt, & abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini, suam frugerunt; sicut peculiaribus Sanctæ Sedis favoribus, & gratiis dignos existimamus, ita ad circumspiciendam illius providentiam pertinere dignoscimus, ea sedulo statueret, atque ordinare, quibus Religiosi ipsi in eam quam singulari divina benedictionis presidio ingressi sunt, via de cætero ambulent, & vota sua reddant Domino in sanctitate, & iustitia coram ipso.

Exordium.

§.1. Hinc est, quod Nos dilectis filiis Fratibus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatis nuncupatis Hispaniarum, & Indiarum, quos in visceribus gerimus charitatis, omnem ambitionis, honorumque, & titulorum consequendorum viam præcludere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, atque ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in ulla eorumdem Fratrum Provincia tam Hispaniarum, quam Indiarum, tituli Lectoris Jubilati nullatenus sint, neque habeantur.

De titulo Lectoris Jubilati.

§.2. Quodque nullus eorumdem Fratrum Discalceatorum, qui Minister Provincialis non fuerit, titulo, ac exemptione Patris gaudeat, etiam si fuerit, vel pro tempore sit Vicarius Provincialis.

Et exemptione Patris.

§.3. Nos enim ex nunc quoscumque, titulos Lectorum Jubilatorum, qui ad præsentem in eisdem Provinciis reperiuntur, apostolica auctoritate, tenore præsentium revocamus, cassamus, & abrogamus, ac pro revocatis, cassis, & abrogatis haberi volumus; Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub arbitrii nostri poenis, omnibus, & singulis dictarum Provinciarum Fratibus, ad quos spectat, ne titulis Jubilatorum sibi alias quomodolibet concessis, seu per eos quavis occasione, vel causa obtentis, de cætero uti, seu se illis juvare audeant, vel præsumant: ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, ac privationis officii poenis ipso facto incurrendis, dilectis filiis eorumdem Fratrum Ministro, & Commissario generalibus respective præcipimus, & mandamus, ut statim receptis præsentibus literis,

Poenisque contra eos, qui illis utentur.

teris, illis pareant, & obediant, deque illis Ministros Provinciales, Vicarios prædictos, & Fratres in numerum Lectorum Jubilatorum relatos certiores faciant; ac Ministri Provinciales Vicarii prædicti, & Lectores Jubilati huiusmodi omnia, & singula in eisdem Literis contenta sub eisdem poenis, ut præfertur, incurrendis adimpleant.

Decretum
irritans.

§.4. Decernentes, præsentem Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: ac irritum, & inane, si fecus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum

§.5. Non obstantibus, regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum
fides.

§.6. Volumus autem, ut præsentium, transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibite, vel ostense.

Dat. die 3.
Decem. 1635.
An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die tertia Decembris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DI.

Ex Reges. in
Secret. Brue.

Oppida Castri Durantis, & Sancti Angeli in Civitates, & eorum Collegiate in Cathedralibus eriguntur sub titulo Episcopatus Urbaniæ.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pro excellenti præeminentia Sedis Apostolicæ, in qua post Bearum Petrum, Apostolorum Principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti sumus, in irriguo militantis Ecclesiæ agro Romanum Pontificem novas Episcopales Sedes, Ecclesiisque plantare, dignum arbitramur, ut per huiusmodi novam plantationem populorum augeatur devotio, divinus cultus effloreat, & animarum salus subsequatur, Oppidaque, & Loca insignia nostræ præsertim, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditioni subdita dignioribus titulis attollantur, & majoribus honoribus decorentur, ut propagazione novæ Sedis, honoratque Præfulis assistentia, & regimine, cum decenti ministrorum numero fideliter ipsi in devotione persistentes, ac etiam devotionis huiusmodi augmentum suscipientes, æternæ felicitatis præmium facilius valeant adipisci, dignaque eorum veteribus aliis cadere possint in exemplum.

§.1. Sane cum Nobis alias pro parte universitatum, & hominum Terrarum, seu Oppidorum Castri Durantis, & Sancti Angeli in Vado nullius Diocesis Provinciae Urbinaten. jurisdictionis pro tempore existentis Abbatis Monasterii Sancti Christophori Terræ, seu Oppidi Castri Durantis huiusmodi Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis humiliter supplicatum fuisset, ut utramque Terram, seu alterutrum Oppidum huiusmodi in Civitatem, ac Monasterium prædictum, & matricem, seu majorem Archipresbyteratum nuncupatum Sancti Michaelis Archangeli Terræ, seu Oppidi Sancti Angeli in Vado huiusmodi Ecclesias alioquin ad id capaces, & idoneas, earumque alterutram in Cathedralibus Ecclesiis erigere, aliaque in prædicta facere, & exequi de benignitate apostolica dignaremur;

Supplicatio
Universitatis,
& Terrarum,
seu Oppidorum
Castri Durantis,
& S. Angeli
in Vado.

§.2. Nos vero negotium huiusmodi Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consultationibus, & rebus consistorialibus præpositorum examinandum demandavimus; & ipsi capta desuper diligenti, ac sufficienti informatione, utramque Ecclesiam talem esse, ut earum quælibet in Ecclesiam Cathedralis erigi mereretur, retulissent;

Negotium ex-
amini Con-
gregat. Con-
sistorialis fuit
renissimum.

§.3. Nos, in quorum manibus dilectus filius noster Franciscus Sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis Barberinus nuncupatus, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, qui Monasterium prædictum, cujus fructus ad centum florenos auri in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, ut Commendam ad sui vitam ex concessione, & dispositione apostolica obtinebat, Commendæ huiusmodi, ac omni cuiuscumque juri sibi in dicto Monasterio, illiusque regimine, & administratione, vel ad illa quomodolibet competenti sponte, & libere cessit, & Andreas Lazarus Præpositus nuncupatus Sancti Alexandri, ac Fabius Piccolpassus Sanctæ Mariæ de Burgo etiam nuncupatus Parochialis Ecclesiarum ipsius Oppidi Castri Durantis Rectores, dilecti etiam filii, Parochiales Ecclesias prædictas, quas etiam nuper obtinebant, ad effectum prædictum sponte, & libere resignarunt; quique cessionem, & resignationem huiusmodi duximus admittendas, audita Cardinalium huiusmodi relatione, exhibita super his cunctis, & aliis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione, ac de illorum consilio, & assensu, ac de apostolice potestatis plenitudine, ad Dei Omnipotentis laudem, ac Gloriosissimæ Virginis Mariæ, & Sancti Christophori, ac totius curiæ cœlestis honorem, fideique,

Quæ fuit in
voto deveniri
posse ad peti-
tam erectionem.

Dimissa itaque per Car-
dinales Bar-
berinos hu-
jusmodi Ec-
clesiarum Com-
menda;

Pontifex at-
tenta Oppidi
Castri Duran-
tis qualitate;

G catho-

catholice exaltationem, & Incolarum Oppidi Castri Durantis predicti spiritualem consolationem, animarumque salutem, ac dicti Oppidi Castri Durantis decus huiusmodi, quod sicut accepimus, tam ob numerum nobilium Virorum habitatorum, Doctorum, Militum, & aliorum in dignitate constitutorum, quam edificiorum insignie existit, ac in quo uti inter cetera Ducatus olim Urbini primario, & capite Provincie Massæ Trebarie resideant Commissarius, Fiscalis, & Officiales dictæ Provincie; quodque alias ad instar aliarum Civitatum Ducatus huiusmodi pro consistorio Ducali octo virorum pro tota Provincia unum ex suis Incolis pluries obtinuit, & deputavit, illudque Duces olim Urbini pro eorum residentia elegerunt, & præsertim claræ memoriæ Franciscus Maria VI. & ultimus Dux, qui idem Oppidum sua insigni Bibliotheca, & sepultura corporis sui tandem decoravit, prævia perpetua Abbatia regularis tituli, & denominationis in ipso Monasterio, ac tam in illo, quam in illius membris, & dependentiis, & ejus Ecclesia huiusmodi ipsius Ordinis, ac omnis status, essentia, & dependentia, universalium, singulorumque illius officiorum, quæ pridem fel. rec. Paulus Papa Quintus in Literis mandati erectionis ipsius Ecclesie Sancti Christophori in Collegiatam, ac unius dignitatis primordialis, ac certi Canonici, & Præbendarum, & aliorum forsitan Beneficiorum numeri, perpetuo sub certis modo, & forma tunc expressis supprimit, & extingui mandaverat, & in Sancti Alexandri, ac Sanctæ Mariæ de Burgo Parochialibus Ecclesiis predictis, ac earum singulis Rectorum tituli, & denominationis, perpetua suppressione, & extinctione in Civitatem Urbaniam nuncupandam, ac Ecclesiam Sancti Christophori huiusmodi antea insignis Abbatie particulare, ac separatam Territorium, habentis, ac jura pontificalia, & jurisdictionem quasi episcopalem in Terra, seu Oppido Castri Durantis huiusmodi exercitæ dignitate præfulgentem, multisque aliis nominibus insignitam in Cathedrali Ecclesia Archiepiscopo Urbinaten., nunc, & pro tempore existenti jure metropolitico subiectam, atque suppositam pro uno Episcopo Urbanien., & Sancti Angeli in Vado nuncupando ejusdem Archiepiscopo perpetuo suffraganeo, qui predictis Urbanien., & Sancti Angeli in Vado, etiam per Nos hodie in Cathedrali erigi concessis Ecclesiis ex nunc invicem perpetuo unitis, & utriusque illarum æquo jure, & pari dignitate præsit, ac in illis, & utraque earundem omnia, & singula, quæ ordinationis, jurisdictionis, ac dignitatis episcopalis, & pontificalis exercitæ sunt, & ad illa, atque ad utriusque Ecclesie Synodi Diocesana convocationem, & celebrationem spectant, exerceat, cum omnibus, & singulis privilegiis, honoribus, juribus, insignibus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus, & gratiis, ac

Illud in Civitatem, & Ecclesiam Parochialem Sancti Christophori in Cathedrali erigit.

Cui præsit Episcopus Urbinaten. Archiepisc. suffraganeus.

indultis, quibus alii Episcopi de jure, & consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt.

§.3. Et præterea in eadem Ecclesia Urbanien. unam dignitatem Præposituram nuncupandam primam post pontificalem pro uno Clerico, seu Presbytero seculari Magistro in Theologia, seu juris utriusque, vel saltem in decretis, vel altero juris Doctore, aut Licentiatto futuro ipsius Ecclesie Urbanien. Præposito, qui tam in Choro, quam in Capitulo, processibus, & aliis actibus per obtinentes similibus Cathedralium Ecclesiarum dignitates, & alios Canonicos, & alios Beneficiatos habitus gestari solitos, ac quibus aliis quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, gestare libere, & licite valeant.

§.4. Necnon etiam in ipsa Ecclesia Urbanien. octo Canonicatus, ac totidem Præbendas pro octo Canonicis, & Præbendatis, ac quinque perpetuos Mansionarios personalem residentiam requirentes pro totidem aliis actu Presbyteris secularibus, aut in ea saltem ætate constitutis, qui infra annum proximum ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri possint, & quibus cura animarum a dictis Parochialibus Ecclesiis abdicanda, & ab illis ad dictam Ecclesiam Urbanien. transferenda alternis hebdomadis incumbat, & qui prævio examine per examinatores in Synodo Diocesana juxta formam Concilii Tridentini pro tempore deputatos examinari, & approbari debeant, & omnes apud dictam Ecclesiam Urbanien. constituturæ, ac in ea singulis diebus Horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, necnon Conventuales, aliasque Missas servata ecclesiastica disciplina celebrare, & decantare, seu recitare, aliisque interesse, ac alias predictæ Ecclesie Urbanien. laudabiliter in divinis deservire, ceteraque onera, & officia eis pro tempore præscribenda, ac singulis Confraternitatibus Cappellanis, & Parochialibus, ac sine cura Sanctæ Barbaræ Ecclesie mensæ capitulari Urbanien. unitis incumbentia subire, curamque animarum tam ipsius Cathedralis Ecclesie Urbanien., quam ab aliis Parochialibus Ecclesiis unitis predictis abdicatam, & ad dictam Ecclesiam Urbanien. translata per se, vel Mansionarios predictos, aliaque Parochialia onera, & officia per turnum alternis hebdomadis, vel prout melius videbitur debite supportare, ac Parochianis ipsis Sacramenta ecclesiastica ministrare teneantur, motu proprio, & ex certa scientia nostra, & de apostolica potestatis plenitudine perpetuo erigimus, & institimus.

§.5. Ipsamque Urbanien. sic erectam, & institutam, ac Sancti Angeli in Vado Ecclesias huiusmodi insimul æque principaliter unimus.

§.6. Necnon predicto Episcopo pro illius residentia ædes suppressi Monasterii, dum in ipsa Urbanien., ac cum in predicta Sancti

Præpositus in eadem Ecclesia erigit.

Octo etiam Canonicatus erigit.

Urbanie, & S. Angeli in Vado Ecclesias unit.

Eodem Episcopo assignat.

Sancti

Sancti

Angeli in Vado Civitatibus resederit, ædes Rectores Ecclesie Sancti Michaelis Archangeli in Cathedrali, ut præmittitur, erigi concessæ, pro perpetuis illius usu, & habitatione: ac ulterius ipsi Episcopo ipsammet Urbanien., & Sancti Angeli in Vado Civitates pro ejus Civitatibus, & pro Urbanien. Diocesi Terras antea jurisdictioni Abbatis suppressi Monasterii subiectas, non tamen predictam Sancti Angeli in Vado, quæ una cum suo Territorio, & Districtu eo ipso ab omni, & quacunque alia jurisdictione, præterquam ipsius Episcopi Sancti Angeli in Vado, libera, immunitas, & exempta sit, & esse censetur, & pro Sancti Angeli in Vado Diocesi remaneat, earundemque Civitatum Communitates, & Terrarum predictarum Universitates, & homines, habitatores, & Incolas pro suis populis, & Diocesanis, earundemque Clericos pro suis Clericis, ac Ecclesiarum predictarum sic in Cathedralibus erectarum vasallos pro vasallis, dicta auctoritate concedimus, & assignamus.

§.7. Et insuper eidem Mensæ Episcopali Urbanien. omnia, & singula in instrumentis fundationum Præbendarum, & Canoniciatum huiusmodi respective contenta pro illius, ac Præposituræ, Canoniciatum, & Præbendarum huiusmodi dote, & tam a nonnullis Confraternitatibus laicalibus dictarum Civitatum, seu ex priorum dispositionibus, aut aliis quomodolibet respective tam assignata, quam assignanda, & pro Collegii quinque Mansionariorum in eadem Urbanien. Ecclesia erectorum huiusmodi dote, onerumque illis incumbentium supportatione Decimas, & quarteria antea Cappellanis solvi solita, ac trecenta scuta annua monete illarum partium solvenda per Communitatem Urbanie per annos viginti dumtaxat, & non ultra, & postea per Episcopum Urbanien. pro tempore existentem in perpetuum assignanda, & solvenda, perpetuo applicamus, & appropriamus: ita quod liceat Episcopo tam suppressi Monasterii, & Sancti Angeli in Vado huiusmodi, quam aliorum, & Præposito dictæ Præposituræ, & singulis Canonicis Urbanie, ac singulis eorum Canonicis, & Præbendis particulariter eis, & eorum cuilibet in specie, & tam illis, quam Capitulo Urbanien. respective unitorum, applicatorum, assignatorum, prout ad eos, & eorum quemlibet respective spectat, & pertinet, ac pro tempore spectabit, & pertinebit, illorum omnium singulorum veram, realem, actualem, & corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios propria auctoritate, & absque iudicis, vel Curie decreto, aut ministerio apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere.

§.8. Insuper Episcopo una cum Capitulo huiusmodi quæcumque Statuta, Ordinationes, Capitula, licita tamen, & honesta, sacræque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, Constitutionibusque Apostolicis non contraria super celebratione divinarum officiorum, administra-

Episcopo & Capitulo potestatem facit condendi statuta pro servitio Ecclesie &c.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

tione Sacramentorum, ac personali residentia, divisione, & participatione distributionum quotidianarum, edendi, & condendi, ac edita, & condita pro temporum, & rerum varietate, & qualitate, quoties opportunum, & expediens videbitur, limitandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi, atque in meliorem formam redigendi, plenam, & omnimodam, liberamque facultatem, motu, & de apostolice potestatis plenitudine similibus concedimus, & impertimur.

§.9. Denique Episcopo, Præposito, Capitulo, & Canonicis Ecclesie Urbanien. huiusmodi, aliisque ejusdem Capitulo, & Ecclesie Urbanien. personis, atque Ministris pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus, & gratiis, quibus alii Episcopi, & aliarum Ecclesiarum Cathedralium Capitula, aliaque Civitates, & Dioceses, ac earum Clerus, Incolæ, & habitatores, ac eorum res, & bona de jure, usu, & consuetudine, aut privilegio, vel aliis quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quoad habitus delationem, uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite possint, & valeant, motu, auctoritate, & de potestatis plenitudine similibus concedimus, & indulgemus.

§.10. Postremo Communitati, & hominibus Oppidi Castri Durantis sic in Civitatem Urbanien. erecti, ac Confraternitatibus Montis in ipsa, seu alia Urbanien. Ecclesia canonice instituti, aliisque juxta formam fundationum factarum, earumque instrumentorum, jus præsentandi ad Canoniciatus, & Præbendas vacantes personas idoneas a Rom. Pontifice, seu loci Ordinario pro tempore existentibus ad præsentationem huiusmodi institutas, & quacunque ex causa illos, & illas vacare contigerit, ipso Pontifici, seu Ordinario loci respective præsentandas, ac per ipsum Pontificem, seu Episcopum respective institutas cum oneribus in instrumentis fundationum, & erectionum contentis, motu simili reservamus, concedimus, & assignamus.

§.11. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostra de unionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, exprimendoque vero valore, & Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi ex cessionis, vel alia probabili causa fieri prohibentis, ac quatenus opus sit, fel. rec. Pauli Papæ Secundi, aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesie non alienandis, & singularum Cappellanarum, aliorumque Beneficiorum predictorum fundationibus, si in aliquo obtent, ut in specie Beneficiorum, Cappellanarum, &

Privilegia eisdem concedit.

Communitati S. Durantis jus præsentationis ad Canoniciatus &c. tribuit.

Clausula irritantes.

Ecclesiarum in executione supradictorum omnium, & singulorum destinatum, applicatorum, unitorum, & assignatorum, quorum omnium, ac fundationum, ac fundatorum testamentorum, & dispositionum tenores, necnon singularum Ecclesiarum, Cappelliarum, & aliorum Beneficiorum, aliarumque rerum, & praediorum, apothecae, censuum, & aliorum bonorum praedictorum situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, & quantitates, verosque annuos valores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, ac fundatorum voluntates, si in aliquo obtent, & in quo ad supradicta omnia, & singula sufficienter, specialiter, & expresse motu, auctoritate, & potestate supradictis commutamus, aliisque quibusvis apostolicis, ac in synodali-bus, provincialibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Monasterii, & Ordinis praedictorum, & singularum Confraternitatum praedictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, illis, illorumque omnium Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis clausulis, & etiam irritantibus decretis in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quavis alia expressio habenda, seu quomodolibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, & expresse motu, auctoritate, & potestatis plenitudine similibus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Potestas data Episcopo cogendi quosdam assignandos pro dote Capitularii.

Clausula penales.

§.11. Volumus autem, & eadem apostolica auctoritate decernimus, quod si praedictorum, censuum, apothecae, & aliorum bonorum mensis capitulari praedictae pro dote, seu in partem dotis assignatorum valores, & redditus assignati non sint iuxta eorum assignationes bonorum, correspondentes assignationes ad supplementum ratae deficientis de suo proprio omnibus juris, & facti remediis necessariis, & opportunis ab ordinario loci pro tempore existente, sive ab Auditore Camerae Apostolicae, manu regia cogi, & compelli possint, & debeant.

§.13. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, unionis, concessionum, assignationum, incorporationum, applicationum, reservationis, indulti, impartitionis, derogationis, commutationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei au-

su temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem, Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Dat. die 18. Februarii 1636. An. XIII.

DII.

Exemptio Fratrum Reformatorem Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum a Jurisdictione, obedientia, & superioritate Ministeri Generalis Fratrum Calceatorum ejusdem Ordinis.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

EX quo regimen universalis Ecclesiae Nobis a Domino commissum, meritis licet imparibus, suscepimus, primas esse officii nostri partes, semper reputavimus, si pro multiplicibus ministeriis, quae in Ecclesia militanti ab illius fidelibus sedulo convenit exerceri, singulos operarios susceptis oneribus insistentibus opportunis confereremus praesidiis, & aliis auxiliis. Proindeque cura Nobis semper fuit, viros Religiosos, eosque praecipue, qui remoti a turbis, divina vacantes contemplationi, in altum primaevis Instituti montem juxta normam a Sede Apostolica peculiariter illis praescriptam, & non solum private, sed publicae animarum salutis invigilantes, dura servitute apud barbaros detentorum libertati, & spiritualibus periculis fructuose infundant, & consulunt, pro pastoralis officii nostri sollicitudine firmissimis munitis praesidiis. Quod ut plenius Nobis eveniat, illos pleni sui juris efficitur, ac ab omnimoda subordinatione, & subjectione libenter emancipamus, atque etiam sub inviolabili Sedis Apostolicae protectione, paterna benevolentia recipimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Exordium.

Innoc. III. approbavit Ordinem.

§.1. Cum pridem fel. rec. Innocentius Papa Tertius Praedecessor noster, Ordinem Fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum sub propria Regula, nutu divino Sanctis Patriarchis Joanni, & Felici illius Fundatoribus tradita, & ab eodem Praedecessore confirmata, instituisset;

§.2. Postmodum vero, cum vel temporum injuria, aut fervore remisso, vel certe hominum tepiditate, antiqua inolevisset observantia, laxiori modo vivendi paulatim invalescente; pia memoriae Clemens Papa Octavus Praedecessor noster, motu suo proprio, in Regnis Hispaniarum unam Pro-

Clem. VIII. instituit Congreg. Fr. Reform. & eam non exemit a superioritate Ministeri Generalis totius Ordinis.

Provinciam, seu Congregationem Fratrum Reformatorem, & Discalceatorum ejusdem Ordinis, in qua primitiva Regula cum antiquo, & pristino illo rigore, & spiritus fervore observaretur; & quae per unum Ministerium Provinciale, ex eisdem Discalceatis eligendum, regeretur, crexerit, & instituerit: Ipsamque Congregationem, ac Provinciam Discalceatorum hujusmodi ab aliis Provinciis praedicti Ordinis Fratrum Calceatorum, seu modificate Regulae perpetuo sejunxerit, & dismembraverit: ipsosque Fratres Reformatos, & eorum Monasteria, tam erecta, quam imposterum erigenda ab omni, & quacumque jurisdictione, visitatione, & superioritate, tam Commissarii generalis, quam aliorum Ministeriorum Provincialium, & aliorum quorumcumque Superiorum Calceatorum, seu modificate Regulae ejusdem Ordinis (excepto Ministro Generali totius Ordinis praefati, sub cujus obedientia, & superioritate Provincia ipsa, illiusque Domus, & Monasteria praesentia, & futura, semper manerent) perpetuo exemerit, & liberaverit;

Paul. V. Congreg. Reform. in duas Provincias divisit

§.3. Et postmodum recolenda memoriae Paulus Papa Quintus, similiter Praedecessor noster, considerans, ipsam Congregationem Fratrum Discalceatorum, non mediocriter, benedicente Domino, in diversis dictorum Regnorum partibus jam tunc esse propagatam cum bonae famae odore, nec non spiritualium operum incremento, eique, plura illius Monasteria, per unum Ministerium Provinciale commode regi, & gubernari non posse, innovescens; etiam Motu suo proprio ex omnibus Monasteriis, & Regularibus Domibus dictae Congregationis duas Provincias separatas, quarum quaelibet per unum Ministerium Provinciale ex praedictis Fratribus Discalceatis eligendum, gubernaretur, instituit. Et deinde idem Paulus Praedecessor facultatem concesserit eligendi ex ipsis Discalceatis unum Praelatum, Vicarium Generalem nuncupandum, cujus officium, & potestas per sex annos duraret: quique Congregationis praedictae, illiusque Provincialium, & Ministeriorum, tam Provincialium, quam Conventualium Superior existeret, atque plenam potestatem gubernandi dictam Congregationem, dicto durante tempore, haberet, Ministroque Generali totius Ordinis subesset, & confirmationem suae electionis ab ipso obtineret;

Urbanus concessit facultatem eligendi ex Discalceatis Ministerium Generalem.

§.4. Subinde, cum rationi consentaneum non esset, ut qui arctioris Regulae sectantur observantiam, Superioribus, qui in laxiori degunt, subiaceant, sed Superiores habeant proprii sui Instituti; Nos propterea Motu nostro proprio, & ex certa scientia nostra, deque apostolica potestatis plenitudine, Congregationi Fratrum Discalceatorum hujusmodi concessimus facultatem eligendi unum Ministerium generalem ex ipsis Discalceatis; statuentes inter alia, quod electio hujusmodi Majoris,

ac Generalis Ministeri, de sexennio in sexennium, in Capitulo generali per secreta suffragia juxta Concilium Tridentinum, fieret.

§.5. Cumque post concessionem nostram hujusmodi Minister Generalis ex ipsis Reformatis noviter electus confirmationem suae canonicae electionis, tamquam Praelatus dicti Ordinis a Sede Apostolica, immediate dependens, a Nobis obtinuisset: Postremo etiam Nos eidem Congregationi, ut Capitulum Generale Discalceatorum Ordinis, & Congregationis hujusmodi pro illius Ministeri Generalis electione facienda legitime congregatum, de caetero perpetuis futuris temporibus, electionem Ministeri Generalis in dicto Capitulo generali factam confirmare libere, & licite possit, & valerit; Ita quod Minister Generalis Discalceatorum hujusmodi noviter electus, & a Capitulo generali confirmatus, nulla alia confirmatione unquam indigeret, apostolica auctoritate concessimus, prout in diversis Literis Apostolicis desuper expeditis plenius continetur.

Auctoritatem que dedit confirmandi electionem praedicti Ministeri Generalis Capitulo Gen.

§.6. Cum autem, sicut accepimus, quamvis praedicta Discalceatorum Congregatio, vigore Literarum nostrarum hujusmodi, facultatem habeat eligendi suum Generalem Ministerium totius Congregationis praedictae: Et jam cessante nomine Vicarii Generalis, satis appareat, cessasse illam subordinationem Vicarii Generalis Ministro Generali totius Ordinis, cujus vices gerebat, & ad quem illius confirmatio pertinebat: nec par in parem habeat imperium: Nihilominus pro majori quiete, & spirituali progressu ejusdem Congregationis Reformatorem hujusmodi, Nos dilectum filium Fratrem Joannem de Annunciatione Procuratorem Generalem, dictae Congregationis, amplioris gratiae favore prosequi volentes, ipsumque Joannem, necnon singulares personas Congregationis praedictae a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes: necnon singularum Literarum praefatarum tenores, etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine, non ad alicujus Nobis desuper factae petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate, ex voto tamen Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Regularium Praepositorum: Quod de caetero praedicta Congregatio, aut illius Religiosi, vel Minister Generalis, alique Praelati, Superiores, Officiales, & personae, perpetuis futuris temporibus Ministro Generali Fratrum Calceatorum totius Ordinis praedicti, nunc, & pro tempore existentis, in spiritualibus, vel

Modo eximit hanc Congreg. a superioritate Ministeri Generalis Fratrum Calceatorum

vel temporalibus minime subjaceant, aut subiecti, & suppositi esse minime debeant, apostolica auctoritate, tenore presentium perpetuo concedimus, & indulgemus. Ipsosque Fratres Discalceatos, illiusque Ministri Generalem, ipsiusque Personas, Conventus, Domos, Collegia, Provincias tam presentia, quam futura, res, & bona, ab omni, & quacumque jurisdictione, superioritate, subordinatione, obedientia, correctione, visitatione, gubernio, aut alia quavis jurisdictione, tam Ministri Generalis Fratrum Calceatorum hujusmodi, quam aliorum Prælatorum, & Superiorum, quacumque auctoritate fungentium, & functorum, & quantumvis amplissimis privilegiis, & facultatibus utentium, & usurorum, etiam quodcumque reformandorum, auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuo eximimus, liberamus, & dismembramus. Illosque sic exemptos, liberatos, & dismembratos, uti Sedi Apostolicæ immediate subiectos, sub nostra, & Sedis Apostolicæ tutela, & protectione recipimus, & admittimus.

Approbat, & confirmat privilegia.

§.7. Omniaque, & singula privilegia eidem Congregationi Reformatorum, circa exemptionem hujusmodi, aut alias per Sedem Apostolicam concessa, eadem auctoritate, etiam perpetuo approbamus, & confirmamus, eisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adicimus: omnesque, & singulos tam juris, quam facti defectus, quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausula.

§.8. Decernentes, presentes, etiam ex eo, quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, aut præmissis non confesserint, sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem Apostolicam, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data per Superiores Congregationis Reformatorum hujusmodi quodcumque eligenda, concessas esse, & fore.

Clausula sublata.

§.9. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere: irritumque, & inane, si secus fu-

per his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.10. Non obstantibus præmissis, ac præfatis Literis Clementis, & Pauli Prædecessorum nostrorum hujusmodi, necnon in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis etiam Ministro Generali Fratrum non Reformatorum hujusmodi, illiusque Provincialibus Ministris, aliisque Officialibus, & Superioribus, ac Personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac de apostolica potestate plenitudine, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc servanda foret, eorum tenores pro plene, & integre expressis habentes, motu pari de eadem potestate plenitudine, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio- rum fides.

§.11. Volumus autem, quod presentium transumptis, vel earum copiis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Generalis, vel Procuratoris generalis hujusmodi, vel alicujus persone in dignitate ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem presentibus adhiberetur, si forent publicata, vel ostensa.

Sanctio pe- nalis.

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, exemptionis, liberationis, dismembrationis, receptionis, admissionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac B. Petri, & Pauli Apostolorum, ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, kal. Martii, Pontificatus nostri Anno XIII.

Dat. die 28. Febr. 1636. An. XIII.

Decla-

DIII.

Declaratio quoad facultates transferendi pensiones, aut illarum loco fructus, ac translationes, novæque reservationes pensionum, ac fructuum antea translatorum.

Quoad pensiones obtinendas, seu transferendas, vide in Constitut. XCVIII. Pii V. Sacrosanctum. Tom. IV. Par. III. fol. 38.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. I Nter gravissimas, multiplicesque apostolicæ servitutis curas, quibus jugiter premimur, illa etiam est, ne Ecclesiæ, & beneficia ecclesiastica indebitè contra, aut præter mentem Rom. Pontificis prægraventur.

Causæ hujusmodi.

§.1. Cum igitur ex translatione pensionum onus illarum prorogetur, seu extendatur de persona ad personam, & sepe de infirmo ad sanum, & de senè ad juvenem, in non modicum præjudicium Ecclesiarum, & beneficiorum ecclesiasticorum, ac illa pro tempore obtinentium; & propterea difficilius concedatur facultas transferendi illas pensiones, quæ alias translate fuerunt.

Declaratio de qua in Rubrica.

§.2. Idcirco Ecclesiarum, ac beneficiorum, & illa obtinentium prædictorum detrimentis, & incommodis, quantum Nobis ex alto conceditur, obviare volentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, omnes, & singulas per Romanos Pontifices Prædecessores, & Successores nostros, ac etiam per Nos ex quacumque causa etiam onerosa, etiam ratione quorumcumque officiorum, etiam motu, & scientia, potestatisque plenitudine similibus, ac consistorialiter, etiam iteratis vicibus, & cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis, & aliis decretis concessas, & concedendas facultates transferendi quascumque pensiones, seu fructus ecclesiasticos earum loco pro tempore reservatas, & reservatos, aut mediante earumdem pensionum antiquarum cassatione, de novo illas reservandi, necnon pensionum, & fructuum hujusmodi translationes, seu novas reservationes, super quibuscumque Ecclesiis, etiam Cathedralibus, & Majoribus, ac Monasteriis, etiam Consistorialibus, cæterisque beneficiis, tam secularibus, quam quorumvis Ordinum regularibus, & hospitalibus quomodolibet qualificatis, etiam cujuscumque Jurispatronatus, etiam Laicorum, etiam quorumcumque Regum, & Principum, illorumque fructibus, etiam incertis, & distributionibus, etiam quotidianis nunc, & pro tempore factas, & concessas quibus-

cumque personis, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis fuerint, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, etiam si super facultatibus, translationibus, seu novis reservationibus hujusmodi, lis, seu lites in quocumque gradu, instantia, vel Tribunali pendeant indecise, non potuisse, nec posse cuiquam suffragari, quoad pensiones, seu fructus alias translatos, nisi in eis consensus pensiones, aut fructus hujusmodi solvere debentium accesserit; aut quod alias pensiones, seu fructus hujusmodi translati, seu de novo reservati fuerint, expressum sit, seu exprimat; vel clausula, etiam si pensiones, seu fructus hujusmodi forsan alias translate, seu translati, vel de novo reservati, vel reservati fuerint, apposta sit, vel apponatur.

Exceptio non nullorum casuum.

§.3. Non intendimus autem presenti Constitutione comprehendere facultates, translationes, & novas reservationes hujusmodi, pro quarum validitate hætenus lata esset sententia, quæ in rem iudicatam transivit, vel pro quarum executione mandatum relaxatum, & executioni demandatum fuerit.

Clausula sublata cum decreto irritanti

§.4. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac etiam Cam. Apost. Clericos Præsidentes, necnon causarum Palatii Apost. & Curie ejusdem Cam. generalem Auditorem, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos iudicari, & definiri, ac interpretari debere; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate definiri debere: ac irritum, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, etiam decernimus.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus indultis, privilegiis, & facultatibus, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam individuum mentionem requirentibus, cæterisque contrariis quibuscumque, illorum omnium, & singulorum tenores pro plene expressis, & insertis habentes.

Dat. die 8. Martii 1636. An. XIII.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 8. Martii 1636. Pontificatus nostri Anno XIII.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, die vero decimaquarta Maii, supradicta Bula, sive declaratio affixa, & publicata fuit ad vultus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per nos Paulum Bartoccium, & Franciscum de Paulis Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Ant. Bardus Mag. Curs.

Hebræo.